DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHO.

AUCTORE PATRICIO CUSSEN.

Inter morbos diversos, quibus genus humanum patet, nullus attentionem medici, prae eo, de quo consilium est mihi in paginis sequentibus agere, sibi vindicat; quippe qui fere ubique grassatur, et periculum maximum infert; nec juvenes viribus fisi, nec longo annorum lapsu fracti senes, hac dira peste immunes sunt.

DEFINITIO.

Cullenus celeberrimus hunc morbum ita definivit:

"Morbus contagiosus; calor parum auctus; "pulsus parvus, debilis, plerumque frequens; "urina parum mutata; sensorii functiones plu- "rimum turbatae; vires multum imminutae."

In hac definitione, et sub hoc nomine, omnes febres contagiosas, synocho excepto, Culleno visum est complecti. Sed hunc quoque tantum pro varietate typhi Gregorio nostro habere placuit.

HISTORIA MORBI.

Accessio typhi mitioris frequenter est valde insidiosa. Aeger per aliquot dies languorem et lassitudinem levem, fortasse cum aliquo dolore

capitis, tantum sentit. Sed in plurimis casibus haec adeo sunt levia, ut non queratur, sed negotia sua solita agat; et de ejus valetudine interrogantibus, illum non se male habere frequenter respondet. Etiam hoc tempore, quaedam vultus mutatio potest observari; magis solito depressus et moestus apparet; et semper ciborum appetentia deficit. Haec symptomata, vesperem versus, semper ingravescunt.

In hac conditione aeger quatuor vel quinque dies interdum manet. Sed inter hoc tempus raro dormit profunde; et e somno valde interrupto, quo fruitur, expergiscens, de mente leviter turbata, et quadam anxietate plerumque conqueritur. In stadio primo quoque, pulsum, quamvis debilem et parvum, raro frequentiorem fieri, in memoria est tenendum.

Hoc statu languido per plurimos dies perstante, rigores accedunt; et cum suffusionibus subitis caloris alternantur, quas aliquid sudationis sequitur; (casus tamen mihi innotescunt, in quibus rigores unquam accidisse aegri negarunt). Dolor capitis ingravescit. Tunc tinni-

tus aurium, dolor dorsi et lumborum, adsunt; et aegri de universa molestia queruntur; vel, ut ipsi dicunt, de dolore ossium. Hoc ultimum signum malorum febrilium fere omnium esse proprium, mihi est persuasum. Fastidium cibi, vertigo, et proclivitas ad syncopen, conando se tollere erectum, quoque accedunt.

Pulsus fit celer, debilior, et aliquando irregularis; et per diem interdum multum mutatur. Calor quoque saepe est inaequalis; quaedam enim corporis partes frigidae, aliae sunt valde calidae; gravitas quoque est praecordiorum; urina plerumque est limpida. Delirium frequenter occurrit; raro est delirium ferox CULLENI, sed typhomania: et aegros saepe sibi aliquid mussitantes, cognovi, atque, cum aliquis illos allocutus est, optime responderunt. Aliis temporibus, tantum est aliquid turbationis mentis et auctae anxietatis, expergiscentibus e somno vel in eum decidentibus.

Tumores interdum imminuuntur, et ulcera siccescunt; sed, febre quiescente, ad conditionem solitam plerumque revertuntur. Lingua,

quae ad initium fuit albidi coloris, fuscioris nunc fit, et saepe tumet. Dentes densis subnigrae materiae crustis, quae etiam labris adhaerescit, obducuntur; quodcunque voratum habet saporem amarum; sed interdum acida sunt aegro jucunda.

In plerisque casibus est aliqua oppressio spiritus; et aliquando effusio copiosa salivae viscidae et glutinosae, quae obturando fauces, est magnae molestiae aegro. Lingua rigescit; et, aegro conante eam detrudere, tremit; et sic sermo indistinctus redditur. Sudores profusi erumpunt, vel diarrhoea molesta invadit: aphthae apparent in ore, atque hae in aliis tempestatibus magis quam in aliis. Aeger plerumque lucis fit impatiens; sed alii sensus frequentissime sunt obtusi.

Symptomata graviora morbi nunc apparent. Delirium in coma transit; pulsus fit debilis, et ejus frequentia haud numeranda. Aeger stimuli lucis non est conscius; est dilatatio pupillarum; aspectus vitreus oculorum; subsultus tendinum; floccitatio; stercora et urina exeunt

involuntarie; coma profunda; aspectus cadaverosus vultus; et singultus invadunt. Sic morbus pergit, lethalis futurus; sed feliciter in nostro coelo plerique casus fauste desinunt.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Typhus omnibus anni temporibus sese ostendit. Currie tamen et Bancroft, frigida plerumque anni tempestate, hunc morbum grassantem conspexerunt. De hac re in praelectionibus suis inquit etiam celeb. Gregorius: "I "have found this fever most frequent during "the coldest weather of winter." Eos quoque utriusque sexus in vitae meridie plerumque afficere videtur. Quaecunque corpus infirmant, huic morbo obnoxium reddunt, scilicet, vita sedentaria, Venus immodica, et intemperantia omnigena; fatigatio magna, quacunque via inducta; morbi praeeuntes corpus reddentes infirmum; purgatio alvi iterata; haemorrha-

giae; studium nimium; vigilia diuturna, et somnus etiam, inter quem, languidior sanguinis circuitus quam dum vigilamus. Affectus animum deprimentes, anxietas nimirum, moeror vel metus, ad hunc morbum etiam praedisponunt, de quibus Doctor LIND verbis sequentibus utitur: "It is a received opinion, that fear is "a cause of itself sufficient to produce, in certain dispositions, a bad or malignant fever. "There are, at least, many instances in besieged towns, where no other reason could be "well assigned for the rise of malignant diseases, than the dejection of spirits, grief, and "panic of the inhabitants, occasioned by the "bombardment and the apprehensions of a violent death from some sudden assault of the "enemy. This much is certain, that such passions of the mind serve powerfully to propagate an infection, even the plague itself. So "that, on all such occasions, too much art cannot be used, to animate with hope and confidence, both the afflicted and the sound." Neque absimile est, quin gaudium, aliaque

ejusdem generis, debilitate non parva producta, effectus similes ostendunt. Eosdem effectus habere solent concoctio tarda, vel prava; frigus, praesertim humori junctum; inedia diuturna, aër inquinatus, et diaeta tenuis atque parca, vel e rebus parum nutrientibus constans; hinc, inter pauperes praecipue in oppidis magnis, saepe coenosis, late grassatur.

CAUSAE EXCITANTES.

Omnium causarum excitantium contagium haud dubio est usitatissimum: natura ejus penitus latet; suis effectibus solum cognoscitur; de eo itaque, ne conjecturas quidem assequi possum. Ex Haygarthii celeb. docemur observationibus, homines, caeteris paribus, aeque contagio typhi, ac variolae, revera obnoxios esse; nam e centum sexaginta et octo contagio eidem commissis, quinque immunes tantum abierunt. Tempus quo febris, contagione accepta,

sese ostendit, sine ulla certa lege est: aliquando paucos tantum dies, sed, eodem auctore teste, hebdomadas etiam sex, priusquam effectus ostenderit, in corpore latitare potest. Hoc niti, vel dosi veneni accepti, viribus corporis ad repugnandum, vel causis aliquibus remotis conspirantibus, censeo.

Halatus iste venenatus, qui seu corpore seu pulmonibus hominum exhalatur, intra limites arctos congestus, aëre puro non admisso, aliam praebere causam excitantem computatur: hinc in carceribus, vel in navibus pro his usurpatis, nosocomiis, aliisque locis in quibus plurimi simul inferciuntur, propter aëra corruptum, alia causa nec evidente, typhus saepe grassatur. Tuguria pauperum, qui, ut vectigal vel frigus hibernum vitent, ostia et fenestras claudunt, aëre puro ac luce exclusis, munditie nedum servata, febris formae teterrimae haud raro scenae evadunt.

Praeter has jam dictas causas, putredo rerum animalium, si fides auctoribus debeatur, hanc febrem saepe excitat; hoc docet exemplum a Doctore Pringle memoratum: "I have seen

" (inquit ille) instances of it (typhus) breaking " out in a ward, where there was no other " cause but one of the men having a mortified " limb."

De causa febris proxima, medici omni aevo intentius disputavere, et multum scripsere: adhuc tamen latet, et fortasse diu latebit, nunquam ingenio humano cessura.

DE DIAGNOSI.

Quanquam, prima accessione, typhus aliis febribus adeo similis est, ut ab iis difficillime internoscatur, paulo post tamen notas sibi proprias exhibet, quibus ab omnibus satis dignoscatur.

Morbus solus, a quo summi est momenti typhum incipientem distinguere, synochus est; quae, paucis diebus, typho interdum adeo similis est, ut etiam doctissimi et peritissimi medici, utra febrium urgeat, accurate distinguere nesciant. Qui hac febre corripiantur,

eorum vires magis franguntur, magisque animus demissus, quam qui synocho. Delirium mitius est; facies pallidior, vultusque magis lugubris; pulsus exilior, debilior, frequentiorque; calor summae cutis minor; sitis minus importuna. Synochus, per totum ejus decursum, signa graviora, primo diathesin phlogisticam, deinde signa typhoidea manifestat: atque prae caeteris robustos invadit. Typhus, contra, laxos, generisque nervosi debiles plerumque infestat.

DE PROGNOSI.

Hic morbus valde levis primo saepe videtur, quamvis inopinanter tandem fatalis; interdumque aegrotus, multis malis signis sese ostendentibus, convalescit. Prognosis igitur cum cautione dicenda est. Caloris tamen sitisque diminutio, lingua in summo morbi gradu nitida humidaque, antea admodum sicca et subfusca; pulsus plenior, fortior minusque frequens; su-

dor lenis, remediis stimulantibus non productus, totum corpus aequaliter pervadens; atque etiam diarrhoea mitis sub morbi finem, bona signa habenda sunt. Magna urinae copia sedimentum deponens, exitum quoque benignum portendere dicitur. Faustum est etiam ubi vox parum mutatur, vel si mutata fuerit, ubi naturalis iterum evadit. Secretio salivae aucta in febribus saepe bonum signum item esse dicitur; in quibusdam ad salivationem auxit, crisinque induxit: cujus rei HUXHAM mentionem facit. Hujusmodi etiam sunt quarundam tumores glandularum, praesertim parotidum, ubi ad suppurationem procedunt. Signum quoque plerumque faustum est surditas. Exitum felicem etiam praedicere licet, si minuitur delirium; si eruptio acris circa labia et nasum; si relevatur stupor atque coma; si vultus parum mutatur, et e colore subfusco vel subnigro in rubicundum petechiae mutantur; si vinum jam sumptum vires aegri recreare, et pleniorem fortioremque pulsum reddere, videtur; atque si redeunt appetitus et somnus, et apparet somnolentia haud tamen in coma crescens. Haemor-

rhagiae quoque leves, nonnunquam, verum rarius, aliquid boni afferunt.

Nunc de signis generis diversi pauca dicamus. Notandum est igitur, plerumque, quanto manifestiora debilitatis signa vel proclivitatis ad putredinem, tanto majus periculum impendere.

Vertigo, nausea, pervigilium, tremores linguae et manuum magni, oculi languidi et hebescentes, et oris ariditas magna, inter mala signa enumeranda sunt. Quum, corpore erecto, accidit syncope, et supervenit delirium permanens vel coma; quum rubescunt oculi, quodammodo sursum vel ad latus versi, aut fixi in orbitis manent; quum, ore aperto, aeger resupinus jacet, perpetuo ad imum lecti delabitur, subsultusque tendinum et suppressio urinae eveniunt; quum pulsus frequens, valde debilis, vel inaequalis, aut praeter solitum tardus, et respiratio debilis vel interrupta; quum facies Hippocratica se ostendit; vox a naturali multum mutatur; aegerque aliquid vix devorare potest; quum lingua sicca, unaque cum dentibus labiisque crusta subnigra tegitur; quum aeger secum perpetuo mussitat, in stragulis floccos legit,

et visus ei deficit, vel queritur se videre muscas ante oculos volitantes; quum foetet illi anima, odor putridus totum corpus usque pervadit, et urinam et faeces male olentes inscius reddit, frigidis glutinosisque sudoribus etiam comitantibus; quum ille singultit, extremitates frigescunt, unguesque livescunt, et haemorrhagiae et maculae gangraenosae in variis partibus superveniunt; tum quidem mortem non longe abesse timendum est.

RATIO MEDENDI.

In duobus stadiis hujus morbi, duo consilia medendi idonea videntur; nempe, febrem tollere, signisque molestioribus occurrere.

Ad primum consilium perficiendum, statim conandum est; nam hoc tantum possumus persolvere, morbo ineunte, exacerbationibus levibus febrem haud rite constitutam ostendentibus, quod, spatium ab initio morbi, ad diem tertium, vel fortasse ad septimum usque, complectitur.

Sed, hoc tempore præterito, ut systematis actioni nimis vehementi obstetur, vel, si haec justo debilior sit, ut vires languidae suscitentur, summis viribus conandum est. Ad primum consilium obtinendum, affusio aquae frigidae, vomitus alvique moventia, praecipue admoventur.

Affusio frigida ad febrem invadentem arcendam, plurimum operae confert: statim post impetum adhibita, et si calor corporis non minor sit quam gradus nonagesimus octavus instrumenti *Fahrenheitiani*, nullo sensu algoris vel sudationis, signis catarrhi absentibus, nulla ex tribus magnis cavis corporis inflammatione correpta; quo promptius nunc adhibita, eo magis febrem tollere polleat. Si febris cursui obstare nequeat, hanc saltem multo leniorem reddit. Celeritatem pulsus arteriarum morbidam minuit; cutem laxat; perspirationem levem et aequalem excitat; sitim sublevat; nauseam sedat; somnum inducit; et aegrum gratissime plerumque afficit, contagium minus periculosum reddit; et petechiae raro superveniunt. Si affusionem frigidam praescribere, quia morbus aliquot dies jam persistiterit, medicus timeat, totum

corpus aqua frigida vel tepida, prout calor sit, cum aceto mista, lavari debet.

Ad febrem tollendam, vomitus quoque, ut supra diximus, arte ciendus est. Ut effectus suos rite exhibeant, emetica prompte adhibenda sunt; nam uno vel altero die elapso, febris cursui raro obstare possunt, sed mature sumpta, multum prodesse non dubium est; sordes, quibus ventriculus gravatur, tollunt, et morbum accendentem fugant. Inter medicamenta vomitoria, ipecacuanha et tartras antimonii et potassae, praecipua sunt. Debilitate praesente, ipecacuanha utpote mitis, posteriori semper est anteponenda: sed debilitate absente, praeparata antimonii ad febres fugandas quam ullum aliud medicamentum magis valere, inter medicos constat.

Tartras antimonii, aqua solutum, exiguisque dosibus sumptum, omnique quadrante horae repetitis, usque ad vomitum inductum, bene respondet.

Purgantia ad febrem tollendam haud raro exhibentur; sed his, hoc consilio, minime fidere oportet. Ad signa quaedam nihilominus levanda multum prosunt; et per totum morbi decur-

sum obstipationi praecavere, summa attentione medicum oportet.

Secundum consilium medendi est, ut antea dictum, signis molestioribus obstare.

Secundo stadio typhi, ut vires aegri sustentemus, somnum aegro conciliemus, et delirium ex cerebri congestione pendens tollamus, vinum nostrum est exhibere; hoc quoque sitim sedat, tremores et subsultus tendinum levat, remedium nullum igitur hoc consilio exhibitum praestantius est. Opium, signis inflammationibus absentibus, convulsiones aliquando tollit, tremorem, vigiliam et singultum levat, morbum nonnunquam mitiorem reddit.

Cinchona officinalis ad vires reficiendas, sanitatem restituendam et recidivam cavendam, utilis est. Post typhum formatum, id est, pulsu inter exacerbationes debili, aliquid cinchonae cum vino utiliter sumatur.

Ad capitis, thoracis, et ventriculi affectus levandos, vesicatoria inter medicamenta validissima nobis nota, jure recensentur. Capitis autem tonsura, et lavatio frigida, omnia commoda ex

iis expectanda plerumque praebent. Diluentia exhalationem per cutem excitandi, sitim et diathesin phlogisticam levandi, et fortasse spasmum solvendi, viribus pollent.

Ad munditiem et perflatum summa attentio est adhibenda. Aeger ab aëre impuro quamprimum admovendus est; sed ubi hoc nequit fieri, in carceribus, navibus, nosocomiis et locis hujuscemodi, ad suffitum statim confugiendum est. Vapores nitrici a plerisque medicis prae aliis anteponuntur. Acido nitrico pro suffimine continuo admoto, nullum exemplum febris contagiosae, Doctore Carmichael Smyth testante, vel nutrici vel adstanti impertitae, cognitum est.

Modus illud exhibendi constat immittendo unicam dimidiam acidi sulphurici in crucibulum, vas vitreum vel fictile; et, hoc calefacto, eidem nitratis potassae paulum addendo.

Omnibus remediis nunc recensitis prudenter adhibitis, cum morbus fauste desierit, et aeger convalescere incipiat; ne iterum in febrem incidat, victu levi et facile concoctu, exercitioque

leni, quale non multum fatiget, sedulo cavendum est. Omnis intemperantia, donec vires aeger penitus receperit, et ad valetudinem pristinam redierit, maxime evitanda est.

DE PROPHYLAXI.

Hic morbus, semel procreatus, longe lateque se diffundat. Quaedam sunt observanda, ut hoc quam primum praevertatur. Simul atque morbus se manifestat, aeger in partem aedificii bene ventilatam amoveri debet. Toralia atque indusia saepe mutanda; excrementa statim auferenda, et munditia summa servanda. Aër quoque purus in cubiculum libere admittendus. Cubicula, quoque, naves, carceres et nosocomia, cum aceto spargi, maxime autem cum vaporibus acidi nitrosi, ut supra diximus, fumigari debent. Vestimenta etiam sordida in aquam frigidam statim jactarentur, postea siccarentur, et his vaporibus bene fumigarentur, priusquam lavari mittuntur; aliter febris lotoribus impertiatur. Neque ulli praeter eos qui inserviunt, aegrescen-

tes appropinquarent; qui, ne super lectum febricantis sedeant, aut ne halitui ex ejus corpore illico orienti, sese exponant, cavere debent; oportet quoque causas contagii impulsui praedisponentes effugiant. Spongia cum aceto vel quibusdam aromaticis madefacta, naribus et ori accedentium aegrotis etiam applicari, commendatur. Diaeta nutriens adhibenda; utendum est etiam exercitatione parca sub divo, una cum quantitate vini modica. Insuper curandum est, ut saliva ex ore subinde exspuatur, et mucus ab naso item perfletur. Evitandi sunt etiam affectus animum praecipue deprimentes; nam "few things (inquit Wilson) are better preservatives against infection, than fortitude and equanimity." Denique, quaecunque corpus roborant, minus praedisponere, ut contagium recipiat, videntur. Omnium autem horum ex Doctoris Currie observationibus, fortasse potentissimum est balneum frigidum, quod igitur iis impulsui contagii objectis, frequenter usurpari debet.

FINIS.